

2. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive decree of the College *coram* Davino, *Praecepti redeundi in propriam dioecesim cum comminatione suspensionis latae sententiae; excardinationis-incardinationis; Incid.: Restitutionis in integrum adversus decretum in Congressu diei 20 ianuarii 1998 latum, quo recursus non admittitur ad disceptationem*, prot. n. 27338/A/96 CA, July 10, 1999

Prot. N. 27338/A/96 CA

N

**Praecepti redeundi in
propriam dioecesim
cum comminatione
suspensionis latae sententiae;
excardinationis-
incardinationis
(Rev.dus X – Congregatio pro
Clericis)
*Incid.: Restitutionis in
integrum adversus decretum
in Congressu diei 20 ianuarii
1998 latum, quo recursus non
admittitur ad disceptationem***

DECRETUM DEFINITIVUM

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno XXI, die 10 iulii 1999 Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis et Rev.mis D.nis Antonio M. Javierre Ortas et Ioanne P. Schotte, necnon Exc.mis ac Rev.mis D.nis Zenone Grocho-

lewski, *Praefecto*, Aemilio Eid et Eduardo Davino, *Ponente*, in causa de qua supra hoc definitivum tulit Decretum.

FACTI SPECIES

1. Recitat impugnatum decretum Congressus diei 20 ianuarii 1998, in "Facti Specie" sub n. 1, ubi sermo fit de praevia causa Rev.di Recurrentis: "... Rev.dus X die 7 iunii 1994 ad hanc Signaturam Apostolicam provocavit, quae autem in Congressu diei 15 [maii] 1995 decrevit recursum ad disceptationem admitti non posse, utpote manifeste quolibet carentem fundamento. Hoc decretum dein mox factum est *res iudicata*..."

Rev.dus Recurrens probabiliter non intellexit locutionem "Hoc decretum" sese referre ad decretum diei 15 maii 1995, nam Cl.mus P Rev.di X Patronus, "attenta voluntate ipsius recurrentis", instantia diei 20 maii 1998 petiit "ut concedatur restitutio in integrum contra praefatum decretum die 20 ianuarii 1998 edictum et notificatum die 20 februarii 1998, ad normam can. 1645, 2, n. 2 et n. 4. Manife-

sta iustitia [sic] enim patet a novo documento nuper invento et numquam antea a iudicibus perpenso”.

Idem Cl.mus Patronus dein rationes huius petitionis exposuit, exhibens epistolam ab Exc.mo Archiepiscopo Y die 13 martii 1998 ad Rev.dum X scriptam, in qua refertur de litteris a Congregatione pro Clericis ad eundem Archiepiscopum die 18 martii 1996 datis.

2. Cl.mus R, Congregationis pro Clericis et Exc.mi Episcopi N Patronus, die 16 iunii 1998 memoriale suum exhibuit et Rev.mus F. Daneels, o.praem., Promotor Iustitiae, die 10 octobris 1998 votum pro rei veritate. Cl.mus Patronus Recurrentis die 10 decembris 1998 exaravit responsionem ad votum pro rei veritate et ad memoriale pro altera parte, qua in responsione petitam restitutionem in integrum etiam ad praevia huius Signaturae Apostolicae decreta et praevious actus Congregationis pro Clericis extendere videtur.

3. Dubium nunc examinandum est hoc: **An detur restitutio in integrum in casu.**

IN IURE ET IN FACTO

4. Restitutio in integrum, servatis iure servandis, peti potest in causa contentiosa-administrativa contra decisiones **iudiciales** H.S.T., dummodo ipsae in rem iudicatam transierint (cf. can. 1645, § 1), exceptis vero decretis definitivis de quibus in art. 116 Normarum H.S.T. Specialium.

— Recitat can. 1646: “§ 1. Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in can. 1645, § 2, nn. 1-3, petenda est... intra tres menses a cognitione eorundem motivorum computandos. § 2. Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in can. 1645, § 2, nn. 4 et 5 petenda est... intra tres menses a notitia publicationis sententiae...”.

— Tamquam documenta postea detecta, de quibus in can. 1645, § 2, n. 2, haberi nequeunt documenta postea confecta vel documenta quae iam habebantur in actis causae et ab advocatis partium inspicere poterant.

Quibus principiis expositis, satis etiam respondetur Rev.di Recurrentis epistolae diei 3 decembris 1998.

5. Obiectum petitionis die 20 maii 1998 propositae est solummodo decretum Congressus diei 20 ianuarii 1998, cum Cl.mus Recurrentis Procurator in libello tunc exhibito tantum contra illud decretum restitutionem in integrum petierit.

6. Rev.dus X adversus idem decretum tempore utili recursum proposuit ad Collegium Em. morum et Exc.morum Iudicum, qui recursus praesupponit impugnatam decisionem nondum transiisse in rem iudicatam. Quam ob rem prorsus non intellegitur petitio, de qua in casu agitur, nam evidenter deest praesuppositum ut restitutio in integrum adversus decretum diei 20 ianuarii 1998 peti possit.

7. Id praeterea animadvertendum videtur: Cl.mus Z adduxit novas litteras Exc.mi S diei 13 martii 1998, quibus cum Rev.do X communicabantur litterae quas Congregatio pro Clericis die 18 martii 1996 ad dictum Exc.mum Archiepiscopum ded-

erat. Iamvero, litterae diei 18 martii 1996 iam diu exstant in actis causae principalis et novae litterae diei 13 martii 1998 non sunt postea **detectae** sed **confectae**. Non agitur proinde de documento quod ad normam can. 1645, § 2, n. 2, restitutionem in integrum, si et quatenus, legitime possit.

CONCLUSIO

8. Omnibus tum in iure tum in facto rite perpensis, Collegium Patrum, pro Tribunali sedens, solum Deum prae oculis habens, dubio proposito respondit:

“Non proponi, id est: non dari petitionem restitutionis in integrum in casu”.

Pro expensis retinetur cautio a Rev.do Recurrente in arca huius Signaturae Apostolicae deposita. Unaquaeque pars suo Cl.mo Patrono debitum honorarium solvat.

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede
Supremi Signaturae Apostolicae
Tribunalis, die 10 iulii 1999.

Antonius Maria Card.

JAVIERRE ORTAS

Ioannes Petrus Card. SCHOTTE

+ Zenon GROCHOLEWSKI,

Praefectus

+ Aemilius EID

+ Eduardus DAVINO, *Ponens*

Notificetur.

Die 3 septembris 1999.

+ Franciscus X. SALERNO, *Secr.*

Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Canc.*